CENTRAL V. E. II
Digitized by Google

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
390
7
ROMA

EX BIBLIOTHECA
JOSEPHI GARAMPII
G — 1 —

XII 20 61

Digitized by Google

8.39.07

420

Digitized by Google

8.39.D.7

DE

SACRA IMAGINE SS. SALVATORIS

In Palatio Lateranenſi.

TRACTATUS

NICOLAI MANIACUTII

Canonici Regularis Lateranenſis

Ex Codice M. S. Tabularii Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranæ fol. 233.

ROMÆ, MDCCIX.

Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo

PRINCIPI

PETRO

CARDINALI

OTTHOBONO

S. R. E. Vice-Cancellario, Sacroſanctæ Lateranæ Baſilicæ Archipresbytero.

ALEXANDER BONAVENTURA

Ejuſdem Baſilicæ Canonicus felicitatem.

QUÆ *ſuperioribus diebus uniuerſus Clerus, populuſque Romanus pa-*

lam edidit egregiæ pietatis, ac religionis argumenta, cum ſacra, & celeberrima Sanctiſſimi Salvatoris Imago Acheropeta, juſſu Beatiſſimi Patris noſtri CLEMENTIS *XI. Pontificis Max. in tribus auguſtiſſimis Patriarchalibus Templis publicæ Chriſtifidelium venerationi propoſita fuit, ad divinam opem in præſentibus neceſſitatibus implorandam: ea mihi magno incitamento fuere, ut ex perantiquo M.S. Codice Tabularii Baſilicę Liberianæ deſcribendum, præloque tradendum curarem*

Opuſculum de ipsâ Sacrâ Imagine exaratum à Nicolao Maniacutio Canonico Regulari Lateranenſi, qui (Panvinio teſte in ſuis ad Platinam notis in Alexandro Tertio) duodecimo Ærę Chriſtianę labente ſeculo floruit. Prodit igitur nunc primùm in lucem Opuſculum, quod non modò jucundum, verùm etiam utile univerſæ Urbi futurum arbitror; cum enim Scriptorem prę-ferat quingentorum, & ampliùs annorum, pium admodùm, nec inelegantem, ut illius temporis conditio ferebat, confirmandæ, au-

augendæque jam inſitæ Romanis Civibus erga ipſam Sacratiſſimam Imaginem religioni conducere poſſe crediderim. Plurima quidem ſunt, quæ, ut eidem Opuſculo inclytum tuum nomen (Eminentiſſime Princeps) inſcriberem, admonebant. Unum tamen eſt, quo non tantùm admonitus, ſed etiam penè compulſus ſum; eximius ſcilicet, ac religioſiſſimus cultus à Te eidem Sacratiſſimæ Imagini exhibitus toto triduo, quo in Baſilicâ Liberianâ permanſit. Ut enim beato illius aſpectu diutiùs fruere-

ris,

ris, & præcipuæ, qua in eam æſtuabas, veneratioñi commodiùs ſatisfaceres, domicilium per eos dies ad ipſam Baſilicam, cui meritò præſides, tranſtuliſti, diviniſque prætereà officiis ibidem ſummâ religione jugiter adſtitiſti, ita ut nedum univerſo Capitulo, ſed innumeris etiam fidelibus illùc eâ occaſione confluentibus pietas tua, cujus laudes nulla ſanè delebit ætas, admirationi ſimul fuerit, & exemplo. Excipe igitur (Eminentiſſime Princeps) ſingulari, qua ſoles, humanitate jure Tibi nuncu-

cupatum Opuſculum, ſimulque benignus amplectere, & gratum habe, quod præſefert, quantulumcumque nunquam interituri obſequii in Te mei, & addictiſſimi animi teſtimonium.

TRA-

TRACTATUS
NICOLAI MANIACUTII
DE IMAGINE
SS. SALVATORIS
In Lateranenſi Palatio.

CAPUT PRIMUM.

AD audiendam Hiſtoriam Imaginis Salvatoris, quæ in Sacro Lateranenſi fulget Palatio, aures corporis, & cordis erigite, quia dignum, & juſtum eſt, ut quæ à cuncto Romano Populo, maximè in Feſto, & Octavâ Aſſumptionis tam ſolemniter celebratur, & colitur, qualiter fuerit condita, & ad Urbem delata, vel quàm ſtupenda miracula per eam Deus effecerit, & quàm ſit Sacra

Baſilica, in qua conſiſtit, patenter omnibus innoteſcat. Salvator itaque noſter, cujus ſpeciem ſacra illa repræſentat Imago, initium ſit, & finis tractatus noſtri. Qui videlicet ex Patre ante ſæcula genitus, quadrageſimo ſecundo Octaviani Principis anno, ex gloriosâ, ſemperque Virgine Mariâ carnem aſſumere dignatus eſt, ut genus humanum de poteſtate primi hoſtis erueret, & ad cœleſtia gaudia ſublevaret. Qui proficiens ætate, & ſapientiâ, cum jam eſſe inciperet quaſi annorum triginta, baptiſmatis aquas ſanctificans, baptizatur à Joanne in Jordane flumine. Salutarem ſanè doctrinam anno quintodecimo Imperii Tiberii Cœſaris, Pilato procurante Judæam, legitur inchoaſſe. Verùm non multò poſt initium prædicationis ſuæ duodecim ex omnibus aſſumpſit Diſcipulos, quos cæteris ſectatoribus ſuis præferens Apoſtolos nominavit. Sed & alios poſt hos elegit ſeptuaginta duos, quos equidem binos in omnem locum, quò iturus erat ipſe, præmiſit. Cum autem poſt innumera, quæ

fe-

fecerat, mirabilia ad petitionem Judæorum ſibi invidentium, crucifigendum illum judicaſſet Pilatus, tertio die reſurrexit à mortuis, octavó decimo præfati Principis anno, vigeſimâ quintâ die menſis Martii, hæc eſt Dominica. Qua videlicet die in utero Beatæ Mariæ ſemper Virginis Angelo fuerat annunciante conceptus, & in qua Cœlum, & Terram ante tempora multa creaverat, ut eo die opus reſtaurationis inciperet, quo ſcilicet opus creationis incœperat. Cum ergo deſtructâ morte Victor ab inferis ſurrexiſſet, primô apparuit Mariæ Magdalenæ, innuens gratiam Fœminis reſtitutam, quæ in Evâ videbatur amiſſa. Deinde apparuit cunctis Diſcipulis, & poſt hos pluſquam quingentis ſimul fratribus, atque pluribus aliis, itaut comederet cum eis, & biberet, & tandem illis videntibus in Cœlum, unde venerat, levaretur.

CAP. II.

POstquam autem ſuſceptus eſt ab oculis eorum, reverſi ſunt Apoſtoli Hieroſolymam à Monte Oliveti, & aſcenderunt in Cœnaculum, ubi manebant perſeverantes in oratione cum Mulieribus, & Mariâ Matre Ieſu, quia non erant ſegregandæ jam fœminæ à Sanctorum Collegio, quæ, Diſcipulis fugientibus, uſque ad horam Crucis Chriſtum fuerant comitatæ. Videres itaque quiddam valde mirabile: ſanctum ſcilicet ſexus utriuſque conventum conferre jugiter de Magiſtri miraculis, quæque viderant, vel audierant, cuncta revolvere, de corporali abſentiâ ſuſpirare, decoris quoque, & pulchritudinis ſæpiùs meminiſſe. Neque enim dubitandum eſt admirandæ pulchritudinis fuiſſe Dominum Salvatorem; cui profectò Sponſa in Cantico Canticorum loquitur: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; Hinc & Pſalmographus intonat: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit*

te

te Deus in æternum; accingere gladio tuo circa femur potentiſſime; ſpecie tuâ, & pulchritudine tuâ. Et iterum: *Dominus regnavit, decorem induit.* Niſi enim habuiſſet aliquid in oculis, vultuque ſidereum, numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum venerant, corruiſſent. Nam & Sancti Prophetæ adventum Chriſti ſuis fieri temporibus anhelabant; non tantùm vtique, ut ejus cernerent ſtupenda miracula, ſed ut eius poſſent etiam ſpecie delectari. Hinc idem Diſcipulis ſuis ait: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; Dico enim vobis, quia multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Quod ſi ante adventum avidè optabatur, ſi ipſi, qui videre meruerunt, prædicantur beati, jam nunc, poſtquam qualis, & quantus ſit, ex his, quæ geſſit, innotuit, quis ejus viſione perfrui totâ animâ non optabit?

CAP,

CAP. III.

SCientes ergo Apoſtoli futuros eſſe plurimos hujus avidiſſimos viſionis, ad eorum recreationem, & ardentis deſiderii qualecumque ſolatium, communi ſtatuere conſilio, nimirum cælitùs inſpirati, ut depingeretur admirabilis ejus forma, dum ipſi adhuc viverent, qui hanc animo gerebant impreſſam. Erat tunc inter eos Lucas Evangeliſta, qui totius Mundi victimam vituli ſpecie repræſentat. Iſte cogitur ad hoc opus, quia, utpotè græcus, in pictoriâ arte erat præcipuus; quod quidem ipſe aggredi verebatur, niſi Sancti Apoſtoli cum gloriosâ ejuſdem Salvatoris Matre Mariâ, ad id congruè peragendum, & triduano jejunio eum proſequi, & continuis precibus promiſiſſent. Dum itaque ſecum volueret, quod ligni genus ad tam præclari operis exceptionem congruum magis eſſet, divina ei providentia palmæ arborem inſpiravit, ut eum, qui Mundum vicerat, victoriæ arbor exciperet. Aſſumens igitur pal-

Vid. in fin. Not. 1.

palmam ſummo eam ſtudio complanavit, & ad propoſitum opus idoneam diligentiſſimè præparavit; ſed divina manus humanum prævenit ſtudium, & opus Diſcipuli præſumpſit cura Magiſtri. Nam lapis ſine manibus de monte præciſus, & ſine carnali concupiſcentiâ in Matris ventre conceptus abſque humano opere in hac tabulâ voluit figurari, ut ſicut comprehendi non poteſt, quomodò illibatâ Virgine de utero Matris exivit, quomodò clauſis januis ad Diſcipulos introivit; ita nec comprehendi valeat, qualiter imagine ſuâ iſtam palmę tabulam inſignivit. Cum enim per manus præfati Evangeliſtæ tantùm deſignata foret, & nec dum eſſent colores adhibiti, repentè inventa eſt eadem glorioſa Salvatoris Imago ſtupendo admodùm decore prę-fulgens, ut potè non humano opere, ſed ineffabili divinâ virtute peracta. Ille etenim hoc de hac informi tabulâ ſubitò geſſit, qui olim virgæ aridæ flores, frondes, & fructus incontinenti conceſſit. Quod prę-clara Virgo Maria, Sanctique Apoſtoli

con-

contemplantes, omni gaudio ſpiritali repleti, multimodas Domino gratias pariter retulerunt. Nec immeritò: Chriſtum ſibi namque de Cælo reverſum reputabant, dum impreſſum cernerent in tabulâ, quem ſcandentem viderant ſuper ſidera. Legimus quoſdam ſuorum charorum poſt obitum vix carere præſentiâ potuiſſe, & ne dolore nimio conſternati inſaniam, ſeù mortem incurrerent, in ſui doloris ſolatium ſtatuas eis ſimiles fabricaſſe. Quod ſi terra ita ardet terram, & putredo vermem (*eſt etenim homo putredo, & filius hominis vermis*) quantò magis Stellæ Solem; & Superi Deum? Et idcircò invenere remedium, volentes eum habere, ut poterant, in Imagine tali, quem ſecum jam habere non poterant præſentiâ corporali.

CAP. IV.

DEnique hujus ſalutiferæ adinventionis, imò divinæ diſpoſitionis exemplo conſuetudo deinceps inolevit, ut non ſo-

ſolùm Domini Salvatoris Imaginem, ſed & glorioſæ ejus Genitricis Mariæ, ac Beatorum Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, vel in tabulis pingere, vel ex lapide, ſeù ligno formare, aut ex aliquo metallo fundere, cultores Chriſtianæ Fidei conſuefcerent. Nec ignoramus ad has Imagines plura Deum jam feciſſe miracula, qui Serpentem æreum à Moyſe fieri fecit in eremo, ut, dum percuſſi ab ignitis Serpentibus hunc aſpicerent, ſanarentur.

CAP. V.

UNde in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ legitur, quod in Cæſareâ Philippi ante domum mulieris, quam Salvator à ſanguinis profluvio ſanare dignatus eſt, baſis quædam in loco editiore collocata monſtratur, in qua mulieris ipſius, velut genibus provolutæ, palmaſque ſuppliciter protendentis Imago ære videtur expreſſa. Adſtat & alia figura ex ære nihilominus fuſa, habitu viri ſtolâ circundati repræſentans Imagi-

nem Salvatoris mulieri dexteram porrigentis; ad pedem autem baſis herba quædam novâ ſpecie naſcitur, quæ creſcens, dum ſummo vertice fimbriam ærei indumenti contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos, languoreſque conquirit, itaut quęcumque fuerit illa infirmitas corporis, hauſtu exiguo madefacti graminis depellatur, nihil omninò virium gerens, ſi antequàm æreæ fimbrię ſummitatē creſcendo contigerit, depellatur. Huic fieri ſimile cernimus & in hac noſtri Salvatoris Imagine, dum aqua illa, qua cum baſilico pedes ejus lavantur, à languentibus hauſta, nonnullis extat cauſa recuperandæ ſalutis. Quam videlicet tantò præ aliis Imaginibus colere, & venerari debemus, quantò Salvatoris noſtri ſpeciem nobis expreſſiùs repræſentat. Nam ſi his reverentiam exhibemus, quæ digitis hominum depinguntur, multò magis huic exhibenda eſt, quam Dei digitus creditur decoraſſe.

CAP.

CAP. VI.

QUod ſi quæratur, cui eam dimiſerunt Apoſtoli, cum ad ſeminandum Dei Verbum in omnem terram decreviſſent exire, credendum ſanè eſt apud Beatam Mariam Virginem remanſiſſe, ut illius obtutibus maternus paſceretur affectus, dum ejus Imaginem cerneret, quem in utero ipſa portaſſet. Nam dum erat in carne, carnalibus ſenſibus movebatur, & ideò quàmſæpè illam videndo recreabatur. Dicitur enim poſt Apoſtolorum diviſionem in Domo Beati Joannis Evangeliſtæ novem annis ſediſſe, qui eam in ſuam, quaſi Filius Matrem acceperat; fuerat enim ei, velut adoptivus ad obſequium traditus, dicente ſibi Chriſto, dum penderet in Cruce, & eam ſciret de ſuo receſſu admodùm contriſtari: *Mulier ecce filius tuus*. Denique glorioſa migravit à corpore, & ſuper Angelos exaltata Salvatoris faciem contemplatur, quem in ventre geſtaverat, quem dilexerat, quem amaverat, quem

corde, & animō concupierat. Porrò præfatam Salvatoris Imaginem ſervaverunt viri religioſi, donec mala cæperunt emergere, quæ Judæorum gentem pro inſidiis, quas adversùs Salvatorem moliti ſunt, vaſtaverunt.

CAP. VII.

Not. 2. FActum eſt enim anno quadrageſimo ſecundo poſt paſſionē Domini, quod *Ti-
Not. 3. berio adhuc regnante, egreſſus Veſpaſianus Dux Romani exercitus, & filius ejus Titus contra Hieruſalem eam undique vaſtaverunt. Hi ſunt illi duo, de quibus in pſalmo legitur: *Exterminavit eam aper de ſylvâ, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* *
Not. 4. Mortuo interim Tiberio, cum Veſpaſianus in Imperium adſciretur, Tito curam belli, & Hieroſolymorum oppugnationem injungit, quam iſte eò avidius exequitur, quò in ultionem Dominicæ paſſionis amplius æſtuabat. Dicitur enim cancri morbo quandoque laboraſſe, ſed ex eo recepiſ-

ſe

ſe protinus ſanitatem, quia cognitâ crudelitate Judæorum in Chriſtum, facinus nimis exhorruerit, & ad tanti ſceleris ultionem vehementer animum excitaverit. Nactus itaque tempus optatum vallavit in circuitu Civitatem, itaut nullus ingredi, vel egredi poſſet ex eâ. Erant autem quaſi tricies centena millia hominum obſeſſorum, quia omnes convenerant ad diem Feſtum Paſchæ, juſto Dei judicio hoc ultionis tempus eligente, ut qui in diebus Paſchæ Salvatorem violaverant, in eiſdem diebus, quaſi in uno carcere concluſi, exitium, quod merebantur, exciperent. Anno igitur ſecundo obtinuit fames Civitatem, nec erant alimenta Populo Terræ, itaut fœni veteris feſtucas ederent, & illa etiam, quæ nec mutis quidem animalibus edere uſus fuit; ad ultimum nec cingulis quidem, nec ipſis quoque calceamentis abſtinuerint; omnia enim neceſſitas cõvertit in cibũ. Sed quid opus eſt per hæc pondus famis illius explicare, cum geſtum ſit ibi facinus horrendum dictu, auditu verò incredibile.

Mulier enim quædam, Maria nomine, genere, & facultatibus nobilis ad tantam demum venit inopiam ut, unde viveret, nil haberet, nam omnes ejus facultates prædones diripuerant; qui videlicèt facto grege cum gladiis per Civitatem circumeuntes eorum, quos arbitrabantur comedere, frangebant januas, & non solùm de locis abditis, sed etiam de sinu edentibus cibum violentèr à quibuslibet rapiebatur. Cum igitur omnia abstulissĕt, velut indignatione, & insaniâ fatigata, ipsos prædones in necem sui maledictis, & convitiis incitabat. Verùm cum nullus eam perimeret, fames autem dira viscеribus ipsis insisteret, ac medullis; contra ipsa jam armatur jura naturæ. Erat namque ei ad ubera parvulus filius; hunc ante oculos ferens inquit: *Infelicis matris ò infelicior fili, in bello, fame, & direptione prædonum, cui te reservabo? Nam, & si vita sperari posſit, jugo Romanæ servitutis urgemur; sed nunc etiam ipsam servitutem prævenit fames, prædones verò utrâque vi graviores perurgent. Veni ergo nunc ò nate: dolentis esto matris*

tris cibus, prædonibus furor, ſæculis fabula, quæ ſola deerat cladibus Judæorum. Hæc cum dixiſſet, filium miſerrima jugulat, deinde ígni ſuperpoſitum torret, & ubi videt aſſatum, medium quidem ſervat, medium verò manducat, excedens modum etiam beſtiarum, dum ipſam carnem ſuam comedere non abhorret; & ecce confeſtim prædones irruunt obuſtæ carnis nidore concepto, mortem minantur, níſi ſine morâ cibos, quos paratos ſenſerant, demonſtraret. Tunc illa inquit: *Ego partem vobis optimam reſervavi.* Et continuò, quæ ſuperfuerant, membra retexít infantis; at illos repentè ingens horror invaſit. Porrò ipſa truci vultu, & ipſis prædonibus truculentior, *meus* (inquit) *hic filius, meus partus, meum eſt facinus: manducate.* Illi autem territi, trementeſque diſcedunt; qui verò hæc audiebant, mori optabant, beatos dicentes eos, quibus contigit interiiſſe, priuſquam talium malorum polluerentur auditu. Cum ergo fame attenuati, ſeditionibus etiam agitati, & terrore nimio pave-

facti,

facti, quasi jam de suâ salute desperassent Judæi, Romanus Exercitus portis vi patefactis ingreditur, & nemine resistente, ferro, igni, & captivitati omnia destinantur; fuerunt autem undecies centena millia eorum, qui fame, vel ferro perempti sunt, & nonaginta millia eorum, qui in servitutem distrahi jussi sunt. De quibus triginta denario uno emebantur; dignè scilicet, qui triginta quippe denariis Christum appretiassent: Vnde ipse per Prophetam *appende-runt* [inquit] *mercedem meam triginta argenteis.*

CAP. VIII.

POst hæc jussit Titus inquiri quæcumque Hierosolymis erant pretiosa, ut cum electis personis, quas decor, vel dignitas, aut proceritas corporis commendabat, suo triumpho iuxta consuetudinem conservarentur. Tunc arca, & tabulæ, candelabrum, & tubæ, atque alia vasa templi,

Ro-

Romam delata ſunt, ſeù illa utique, quæ Jeremias occultaſſe in ſecundo Machabeorum libro legitur, ſeù alia poſt reſtaurationem templi à Patribus ſequentibus condita, quod euidenter apparet in arcu triumphali, quem erexit Divo Tito Divi Veſpaſiani filio Senatus, Populuſque Romanus. Inter quæ pretioſiſſima, & divino quondam cultui mancipata, hæc reuerenda Salvatoris Imago delata dicitur, quia quidquid Sacrum apud hoſtes cujuſcumque nationis poterat deprehendi, hoc neceſſe erat ante currum triumphantis inferri. Magnoperè autem credimus Titum hanc Imaginem fuiſſe reveritum, audiens figuram illius eſſe, quem Judæi crucifixerant, in cujus ultionem hæc omnia paſſi eſſent, & quem ipſe dudum vindicare proponens à cancri ulcere ſit curatus. Sanè omnia illa Sacra, quæ de Hieroſolymis aſportata fuerunt, in Sacro Lateranenſis Patriarchii continentur Altari, ubi & hæc Salvatoris Imago longo tempore conſervata eſt, donec Summo Pontifici Dominus Not. 5.

inſpiravit, ut eam in Palatium hoc ſubveheret, atque ſuper Altare Sacroſanctæ Baſilicæ B. Laurentii, quæ eſt ad Sancta Sanctorum, honorificè collocaret. Nam ut intra Sancta Sanctorum ſoli Summo Pontifici licebat olim intrare, ita ſuper hoc Altare ſoli Summo Pontifici diuina licet myſteria celebrare; illùc præter ipſum Pontificem nemo ingrediebatur, huc in memoriam mortis, quam per Evam incurrimus, fœmina non ingreditur. O veriſſima promiſſio Salvatoris, nam & in hoc impleri cernimus, quod Diſcipulis repromiſit; *ecce Ego*, inquiens, *vobiſcum ſum omnibus diebus*, dum in Palatio, quo Vicarii ejus reſident, ſuam quodammodò perſonam per hanc Imaginem exhibet. Videtur autem & hoc Eccleſiæ Sanctuarium in eo excellere Sanctuarium Synagogæ, quia majeſtas Domini, quæ illic quandoque appa-
Not. 6. rebat in nube,* hìc continuè permanet in Imagine; ſic enim Eccleſiæ per Prophetam Dominus pollicetur: *Gaude, & lætare filia Sion; ecce Ego venio, & habito in medio tui.*

tui. Et ut apertiùs clareat quàm terribilis eſt locus iſte, & quod verè domus Dei ſit, & Aula Sancta, quid ibi quodam tempore acciderit, audiatis.

CAP. IX.

VIr quidam vitæ valde laudabilis, cum infra Octavam Aſſumptionis ante fores hujus Baſilicæ nocte quadam confiteretur Domino in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, duo homines reverendi habitus pariter aſtiterunt, quos migraſſe de ſæculo nullo modo dubitabat. Interrogati ab eo quam ob cauſam veniſſent, *Dominam*, inquiunt, *expectamus*, *quæ quaſi vicem rependens Filio*, *cum majeſtate ventura eſt*, *ut ei deferat*, *quem & ipſe nuper ad eam veniens grandem ei fecit honorem*. *Tu ergo nè timeas*, *neque formides*: *oculi namque tui videbunt mirabilia*. Et ecce ſubitò cœtus animarum jam cum Chriſto regnantium, & ſanctorum Spirituum agmina glorioſa, ſuis choris diſtincta, modu-

latione dulciſonâ laudes Domini reſonantia, in quibus chorus Sanctarum præibat Fœminarum, quas Confeſſores diverſorum ordinum ſequebantur, poſt hos autem Martyres incedebant, extremi verò gradiebantur Apoſtoli. Poſtremò glorioſa Dei Genitrix Virgo Maria vallata choris Angelicis, & miro odore redolens veniebat; ad cujus introitum ſplendor ingens, quaſi fulgur emicuit, ita ut tota Palatii machina videretur ſuccendi, & locorum facies penitus immutari. Stupefactus Vir ille in hac magnificâ viſione penè deficere videbatur: quem illi, quos initio vidérat, confortantes, dicebant ei: *noli timere: hæc eſt enim majeſtas Domini, qui jam ingredietur.* Tunc ille ad eorum confortatus ſermonem attollit oculos, & videt thronum gloriæ magni Dei ab Angelis in altum portari, ſedentem autem ſuper illum neminem videt. Mox patefactæ ſunt januæ Sanctæ hujus Baſilicæ, & thronus illuc cœleſtis inducitur, ſed & Vir, qui hæc cernere merebatur, ſimul cum aliis intromittitur.

Quæ-

Quæritur interim, quis celebrat divina myſteria? & reſpondetur, Princeps Apoſtolorum, atque ſubjungitur: miniſtrent ei Laurentius, ac Vincentius; quibus tandem ſolemniter celebratis, cum omnes pariter receſſiſſent, calix, & patena cum aliis Sacerdotalibus paramentis ſuper Altare relicta ſunt, in teſtimonium ſtupendæ admodùm viſionis, ut ſcilicet aſſertio Viri, qui hanc viderat, vera per omnia probaretur.

CAP. X.

NEc immerito talia hic eveniunt, cum pretioſiſſima ibidem pignora contineantur, tam ipſius Domini Salvatoris, cujus laudabilis ibi nitet Imago, quàm etiam Beatorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum. Eſt enim ibi præciſio Umbilici, & Præputium Circumciſionis Pueri Jeſu Chriſti, & Sandalia, ideſt Calceamenta, quibus utebatur, & magna pars de Ligno Crucis, in qua pependit. Porrò ad pedes ſæpedictæ Salvatoris

ris Imaginis unus eſt ordo de lapidibus Terræ Sanctæ; eſt etiam ibi lapis de Sanctâ Bethlehem; de Præſepi, in quo reclinatus eſt Chriſtus; de Monte, in quo transfiguratus eſt; de Monte Oliveti; de loco, qui dicitur Lithoſtrotos; de Columnâ, ad quam ligatus eſt Chriſtus; de Calvariæ loco; de Ligno Crucis Dominicæ; de Lanceâ, qua perforatum eſt latus ejus; de Sepulchro Domini; de Lapide, in quo ſedit Angelus; de Monte Sion; de Monte Sinai; de Sepulchro Sanctæ Dei Genitricis Mariæ.

CAP. XI.

VErùm, quia nonnulli ſolent quærere, quare præclara hæc Salvatoris Imago de Lateranenſi Palatio in Feſto Aſſumptionis deſcendat, & ad Baſilicam Sanctæ Mariæ Majoris procedat, diverſorum aſſertiones breviter intimamus. Quidam dicunt, quod cum olim conſtitueretur, ut multę alię Imagines in aliis Beatę Marię ſolemniis procederent, ſolemnior iſta ſolem-

lemnitas huic ſoli conceſſa eſt, ut pro qualitate diei major ei reverentia exhibeatur. Alii verò aſſerunt hoc inſtitutum fuiſſe in memoriam Aſſumptionis Sanctę Dei Genitricis Mariæ, ut videlicet, quomodò Chriſtus deſcendit in perſonâ ſuâ de Cœleſti Palatio, teſte Beato Hieronymo, cum ingenti lumine, Angelorum vallatus agminibus ad exequias Matris ſuæ; ait enim præfatus Doctor: *Credendum eſt militiam Cœlorum cum ſuis agminibus feſtivè obviam adveniſſe Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulſiſſe*; Creditur enim, quod Salvator omnium ipſe, quantum datur intelligi, per ſe totus feſtivus occurrerit, & cum gaudio eam ſecum in throno collocaverit. Not. 7.

CAP. XII.

ALii autem opinantur hanc proceſſionem ideò fieri, quia in Feſto Aſſumptionis ab ingenti exitio Romanum Populum Dominus liberavit. Temporibus Not. 8. enim Leonis Quarti juxtà Baſilicam Beatæ

Lu-

Luciæ Virginis, & Martyris, quæ in Orphâ ſita eſt, in quibuſdam terrę abditis, ac cavernis diri generis Serpens, qui Baſiliſcus dicitur, latitabat, qui flatu ſuo cunctos per confinia gradientes, celeritèr extinguebat; nam & herbas flatus ejus exurit, & omnes arbores ſiccat; auras enim corrumpit, itaut in ipſo aere nulla avium impunè tranſvolet, infecto ſpiritu peſtilenti; Habet enim ſemipedem longitudinis, & cum movetur, mediâ corporis parte ſerpit, mediâ verò eſt arduus, & excelſus, ad cujus ſibilum Serpentes fugiunt, nam & Regulus, quaſi eorum Rex, interpretatur. Cum ergo præfatus Pontifex hoc audiſſet totâ ſe ad Deum mente convertit, jejuniis pariter, & orationibus obſecrans, vt ab hac immani peſte Plebem ſuam Dominus liberaret. Dum autem hæc agebantur, pręclarus, ac celeberrimus dies advenit, in quo Beatę Dei Genitricis Aſſumptio celebratur. Tunc prædictus Pontifex, Spiritu ſuggerente Divino, à Patriarchio Lateranenſi cum pſalmis, & hymnis, Sancta Dei Sal-

va-

vatoris Imagine præcedente, ad Basilicam Sancti Adriani, sicut mos est, propriis pedibus cum omni Clero, Populoque perrexit, de qua egressus, omni turbâ comitante Fidelium, ad Basiliçam S. Marię, quę ad Pręsepe dicitur, cum hymnis, & laudibus properabat. Cum autem deveniſſet ad locum, in quo prędatus Serpens sęviſſimus tetris, ut diximus, latitabat cavernis, omni Clero, & Populo longiùs stare juſſit. Ipse verò, ut bonus Pastor, pro sibi commiſſis ovibus suam animam ponens, ad easdem cavernas acceſſit intrepidus, & super foramen, unde peſtifer flatus ipsius egrediebatur Serpentis, stetit confidens in Domino, sciens confitenti divinâ voce promiſſum, *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis*, & oculos cum manibus pariter ad Cœlum erigens eum, qui super omnia Dominus est, perfusis lachrymis exoravit, ut diri generis animal suâ potentiâ effugaret. Et tertiò super foramen signum Crucis cum Imagine ipsâ faciens, ad Populum reversus est, datâque super eos oratione, cum laudibus

ad prędictam Basilicam proficiscitur. Ab eodem verò die Basiliſco illo mortuo, vel fugato, nihil lęsionis in iis locis intervenit.

CAP. XIII.

PRætereà ad Arcum Latonæ ſecus Templum Romuli adeò Dæmonum nequitia prævalebat, ut quicumque illinc inclinato veſpere pertranſiret, mortem ſubitò, vel aliquem morbum incurreret; Unde ſtatutum eſt, ut venerabilis Imago ſemper inde in proceſſionibus portaretur; quod cum fieret, ceſſavit peſtis, quia veriti ſunt Dæmones figuram Chriſti, cui ſcilicèt olim inclamabant dicentes: *Quid veniſti ante tempus torquere nos?* Perpendite igitur quàm reverenda ſit hæc Imago, cujus præſentiam Dæmones fugiunt, per quam tàm præclara miracula Dominus operatur.

CAP. XIV.

ILlud quoque quis non miretur, quod ſingulis annis in Aſſumptionis B. Virginis Fe-

Feſto Dominus efficit, dum totâ nocte ardent faculæ, & tamen in quibuſdam cera nõ deficit, in quibuſdam autem & augetur. Verum tamen quid mirum? Ille id agit, ut cereus ardeat, & non comburatur, qui olim efficiebat apparens Moyſi, ut rubus arderet, & non conſumeretur. Attamen, ut fateamur, quod verum eſt, tot homines gloriari modò ex hoc proventu non cernimus, quot olim utique cernebamus. Quare autem? quia nimirum iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt, & diviſerunt inter nos, & Deum. Nam & nunc Columba illa in hac proceſſione non cernitur, quæ olim, ut à Majoribus traditur, frequenter apparere ſolebat, & ſuper ipſum Salvatorem quandoque repauſans, dabat intelligi hanc illius eſſe figuram, ſuper quem Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie ad undas Jordanis apparuit. Demum autem videntibús omnibus, quibus videre datum fuerat, ferebatur ad Cœlos. Hoc indicium divinæ gratiæ nobis penitus ſubtractum eſt: nam & ſi modò veniat, non videtur, peccatis noſtris uti-

que promerentibus, & eorum maximè, qui non pro Dei ſervitio, ſed pro carnali aliquâ voluntate Sanctorum feſtis ambiunt intereſſe: qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis: qui exacerbant Deum in abominationibus ſuis, ita ut cogatur dicere: *Solemnitates veſtras odivit anima mea, laboravi ſuſtinens*: horum quoſdam videmus in ſancto Aſſumptionis jejunio cum ipſis ſimul faculis per nefas carnes quoque ad veſcendum conferre, ut ſedeant manducare, & bibere, & ſurgant ludere; ſed & alios ſaltare cernimus, alios lyram tangere, alios, quod deterius eſt, theatralia carmina delatrare; & habent iſti fautores ſuos cachinnando dicentes: *totum de feſto eſt*: cum à ſuis vanitatibus, immò ſacrilegiis, eſſent potiùs deturbandj.

CAP. XV.

UT autem ſciamus, quia non immeritò ſua nobis beneficia Dominus ſubtrahat, dicendum breviter eſt, cum quantâ re-

reverentiâ celebrabatur olim iſta Proceſſio. Portabatur quidem Imago hęc à Cardinalibus, & Stationalis Crux ante illam. Omnis autem Curię ordines ſequebantur, Pſalmis, & Hymnis laudes Domino perſolventes. Sanè Urbis Prefectus, & Romani omnes, Populus grandis valde, portantes faculas cum timore Dei, & reverentiâ maximâ occurrebant, memores illius tremendi temporis, quando omnes occurremus Chriſto, reddituri de factis proprijs rationem. Nam licèt diverſas Proceſſionis hujus cauſas ſupra aſſignaverimus, ob hoc maximè inſtituta videtur, ut nobis diem Judicii prefiguret, in qua Chriſtus venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſęculum per ignem Et ideò in nocte celebratur iſta Proceſſio, quia dies Domini, ſicut fur, ita in nocte veniet. Crux autem præcedit Imaginem, quia, ut quidam aſſerunt, cum Cruce Chriſtus veniet ad Judicium, vel potius, ut ſimus memores cruciatuum, quos pro nobis pertulit in ſuo corpore ſuper lignum. Ordines verò Curiæ Cœleſtis Curiæ militiam repręſen- Not. 9.

ſentant, cum qua Dominus ad judicandum veniet. Omnes quidem occurrunt, quia Chriſto ad ludicium omnes pariter occurremus. Eſtote ergo parati, ſimiles hominibus expectantibus Domiuum ſuum; Salvatorem enim expectamus Dominum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Iterum dico: eſtote parati, ut cum mediâ nocte clamor factus fuerit, ecce Sponſus venit cum ornatis lampadibus, ei obviam exeatis; harum quippe figuram gerunt faculæ, quas portatis, quas & odoriferis herbis obvoluitis, ut ſitis Chriſti bonus odor in omni loco.

CAP. XVI.

SIcut igitur ornatis faculas veſtras, ut Salvatori de Palatio deſcendenti cum odore, ac luminaribus occurratis; ità ornate mentes veſtras, ut Chriſto de Cœlo deſcendenti cum odore virtutum, & luce bonorum operum obviam exeatis. Omnis gloria veſtra, ut ait Beatus Hieronymus, ab

ab intus ſit; intus habete, quod foris luceat, nè fortè inter has ſolemnitates, priuſquam Sponſus veniat, extinguatur; Nam hujus diei celebritas, nonniſi accenſis lampadibus intus, & foris rectè colitur. Ideòque, dum eſt oleum, dum vacat, dum moram facit Sponſus, aptate veſtras lampades, & conſcientias virtutibus adornate, ne fortè cum venerit, vacui, quod abſit, inveniamini, In die quippe Judicii quicumque ſine bonorum operum teſtimonio fuerint deprehenſi, cum Sponſo ad nuptias non intrabunt; Omnes enim ſtare oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque, prout geſſit, ſive bonum, ſiue malum; ecce enim ad examen eius omne genus deducetur humanum, cui ad vindictam malorum, & remunerationem bonorum Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, & Poteſtates pariter obſequentur.

CAP. XVII.

PEnſate itaque ad conſpectum tanti Judicis, qui in illo die terror erit, quando

do fugæ locus non erit, quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quorum Deus Judex est; quæ illa confusio, quæ verecundia, cui, peccato suo exigente, contigerit in conventu hominum, & Angelorum erubescere; qui pavor, eum, quem tranquillum mens humana non potest capere, etiam iratum videre. Hanc diem benè Propheta intuens, ait: *Dies iræ, dies illa, tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ.* Illam ergo diem cogitate, vitam corrigite, mores mutate, tentationes vincite, perpetrata mala plangite, futura cavete, vanam lætitiam fugite, carnis voluptates domate, ut cum Filius Virginis, Salvator Mundi, Sponsus Ecclesiæ venerit, digni inveniamini cum eo intrare ad nuptias, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quas præparavit Deus diligentibus se, ut epulentur cum eo in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

REm Tibi, benigne Lector, non injucundam facturum me esse arbitratus sum, si nonnullas Amici mei in hoc ipsum Opusculum animadversiones, quibus ab illius Authore tradita vel illustrantur, & confirmantur, vel etiam emendantur, oculis tuis subjicerem. Eas igitur, ut meas ad manus nuperrimè pervenerunt, hìc accipe. Si quid noveris melius istis, candidus imperti: si non, his utere mecum. Vale.



Not. 1. pag. 6. QUæ narrat Author de venerandâ hac Sanctiſſimi Salvatoris Imagine, Divi Lucæ Euangeliſtæ manu primùm delineatâ, & mox non humano opere, ſed divinâ virtute perfectâ, planè conſentiunt cum antiquiſſimâ, & conſtantiſſimâ, etiamnum Romæ vigente, traditione, quam multis præclaris, & uſque ab octavo Ære Chriſtianæ ſeculo repetitis monumentis teſtatam facit *Joſeph Maria Soreſinus in Opuſcul. de Imag. Sanctiſſimi Salvatoris in Baſilica ad Sancta Sanctorum à num. 3. ad 20.* Plura alia ad ipſam traditionem confirmandam opportuna tradunt *Andreas Victorellus in addit. ad Ciaccon. de Vit. Pontif. in Stephano III., & alii ab eo relati.* Quibus accedit graviſſimum teſtimonium *cl: me: Cæſaris Cardin. Raſponi in ſuo laudatiſſimo Opere de Baſilica, & Patriarchio Lateranenſi lib. 4. cap. 19. pag. 369.*, cujus verba inferiùs proferemus. Hinc ſummam eadem Imago apud Urbem religionem, ſummam in animis omnium fidelium ſemper ob-

tinuit reverentiam, eâque, tamquam certissimo divinæ clementiæ propitiatorio, Pontifices Maximi, Clerus, Populusque Romanus difficilioribus quibusque temporibus utebantur: cujus rei multa illustria occurrunt exempla in *Anastasio Bibliothecario*, & cæteris Ecclesiasticorum Annalium Scriptoribus; iis autem exemplis adjungi par est recens illud sanè præclarum, diùque Posteris commemorandum, quod SS. D. N. Clemens XI. Pont. Max. in ipsis hujus anni primordiis edidit: Is enim afflictos, magnumque in discrimen adductos populos ad implorandam enixis precibus divinam misericordiam, & opem excitaturus non alio usus est instrumento, quàm hac ipsâ celeberrimâ Imagine; quàm idcircò è Lateranensi eductam Sanctuario, ac ad omnes Urbis Patriarchales Basilicas augustâ pompâ perlatam, multos dies, publicæ fidelium veneration i proposuit, pioque voto Pontifex optimus nequaquam frustratus est. Nec aliundè profectò,

dò, quàm ex vetuſtiſſimâ ejuſmodi traditione, ſingularique fideliũ cultu initium ſumpſiſſe crediderim perantiquam, ceteriſque omnibus longè ſolemniorem ſupplicationem quotannis in feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis olim haberi ſolitam, qua Sacra hæc Imago Summo Pontifice, Sacro Cardinalium Collegio, & univerſis Civitatis Ordinibus proſequentibus, è Sacello S. Laurentii ad Liberianam Baſilicam comportabatur. Irreligioſum itaque videri poſſet, & à Catholicâ pietate alienum de eâdem Imagine, quam tot ſeculorum traditio, & reverentia conſecravit, quidpiam diverſum ſentire: cum, ut *S. Auguſtinus contra Julianum Pelagianum lib. 2. cap. 34.* ſapienter advertit, *adhibenda tandem ſit fides iis, qui quod invenerunt in Eccleſiâ, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

Not. 2. pag. 12. Irrepſit hic vel Authoris, vel Librarii inexcuſabile mendum. Communi ſiquidem Eccleſiaſticę Hiſto-

riæ

riæ Scriptorum ſententiâ Tiberius Cęſar anno 5. poſt Chriſti paſſionem humanis rebus exemptus eſt. Itaque corrigas: *Factum eſt enim anno 36. poſt paſſionem Domini &c.*

Not. 3. pag. 12. Hic iterùm Author, an Librarius offendit. Veſpaſianus enim Judaici belli Dux non à Tiberio, ſed à Nerone extremis Imperii ſui temporibus delectus fuit, ut ex *Tacit. Hiſtoriar. lib.* 1. *cap.* 10., *& Sveton. in Veſpaſian. cap.* 4. ſatis conſtat, quibus *Euſebius*, *Card. Baronius*, *& cæteri Eccleſiaſtici Scriptores* adhærent. Loco igitur: *Tiberio adhuc regnante*; ut narratio cum Hiſtoriæ fide conſentiat, reponas: *Nerone tunc regnante &c.*

Not. 4. pag. 12. Mortuo quidem Tiberio, ſed longè ſeriùs, nimirùm C. Caligulâ, Claudio, Nerone, Galbâ, Othone, & Vitellio illius ſucceſſoribus jam extinctis, Veſpaſianus Imperium adeptus eſt. Quamobrèm vel Authoris, vel Librarii lapſum ità corrigas: *Mortuo interim Nerone, ejuſque ſucceſſoribus brevi temporis in-*

ter-

tervallo ſublatis, cum Veſpaſianus &c.

Not. 5. pag. 17. Quod ſacra hæc Imago à Tito Cæſare inter everſæ Ieroſolymæ ſpolia, dum de ſubactis Judæis triumphum egit, in Urbem delata fuerit, vetus extitit Romanorum Civium opinio, ut, præter hujus Opuſculi Authorem, monumenta à *Soreſino* producta teſtantur, eâmque noſtrâ etiam ætate vigere affirmat laudatus *Cardinalis Raſponus*. Minùs tamen probabilem illam aliqui arbitrantur, nixi authoritate *Euſebii Pamphili*, qui in ſuâ *Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ lib. 3. cap. 5.* de poſtrema Judæorum expugnatione poſt Chriſti necem agens, *Valeſio* interprete, hæc ait: *Sed & cum univerſa plebs fidelium Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ex oraculo, quod Viris quibuſdam ſanctiſſimis divinitùs editum fuerat, ante initium belli ex Civitate migrare, & Oppidum quoddam trans Jordanem, Pellam nomine, incolere juſſa fuiſſet; jamque omnes, qui in Chriſtum crediderant, relictis Hieroſolymis, ſedes ſuas Pellam tranſtuliſſent; ita & Regiâ Urbe, quæ totius*

gen-

gentis caput eſt, & universâ Judeâ Viris Sanctis deſtitutâ, demum divina illos ultio ob tot admiſſa tum in Chriſtum, tum in ejus Apoſtolos ſcelera corripuit, totamque illam impiorum ſobolem funditus delevit. Si igitur [oppugnatores ejuſmodi opinionis ajunt] affirmare volumus Imaginem hanc Hieroſolymis fuiſſe pictam, fateamur neceſſe eſt eam à Chriſticolis de imminenti Civitatis obſidione præmonitis tutum in locum, ſcilicet Pellam, quò ipſi confugerant, fuiſſe ſubvectam. Quod ſi inficiemur, Chriſtianos gravis delicti reos affirmabimus, qui Urbem ruituram, incendendamque cum ſcirent, eorum ſalvâ ſubſtantiâ, Imaginem hanc non ſolum neglexerint, ſed flammis ſubjiciendam, perituramque in miſerâ Civitate reliquerint. Huic tamen argumentationi antedictæ ſententiæ propugnatores occurrunt, reponentes non eſſe omninò impoſſibile, quod Chriſtiani Pellam profecturi Sacram Imaginem Hieroſolymis reliquerint vel caſu aliquo,

ut

ut fit, vel potiùs ob metum Judæorum, à quibus si detecta foret, dum asportaretur, ingens ipsi periculum subiissent, cum ex eodem Eusebio loco citato constet Christianos per id tempus à Judæis acerbiùs habitos, & Apostolos præsertim insidiis sæpissimè appetitos, graviter afflictos, ac tandem ex Judæâ fugatos esse. Id autem probabilius effici ex eo ajunt, quòd Eusebius minimè tradat Christianos Pellam commigrantes omnes suas opes illuc, ita ut Hierosolymis nihil omninò remanserit, transtuliſſe; quin imò de translatis bonis nullum penitùs verbum faciat. Cæterùm ubi etiam fatendum sit Sacram Imaginem eâ occasione à Christianis Pellam fuisse devectam, nihil obstare, quominùs à Tito Cæsare subindè Romam delata fuerit; potuit enim ab eodem Augusto studiosè conquiri, vel propter susceptam in Christum reverentiam, si vera sunt, quæ Maniacutius scribit de mirificâ illius à Cancri morbo curatione; vel,

quod verisimilius est, propter desiderium conspiciendi, ac triumphali pompæ adjungendi Imaginem Viri etiam apud Romanos celeberrimi, quod Triumphantibus usitatum nemo negaverit; facili autem negotio licuisse Tito eamdem Imaginem suam in potestatem redigere, cum Pella Hierosolymis parùm distet, & ipse circumquaque rerum potiretur. Has demùm possibilitates sufficere autumant, ut vetus Romanorum opinio, quòd Titus Sacram hanc Imaginem ad Urbem attulerit, sarta tecta servetur? In hoc conjecturarum, & rationum pro utrâque parte conflictu, quid sentiendum? Ego sanè, sicuti ejusmodi opinionem, ut falsam damnare non ausim, ita eam, ut veram, ac certissimam probare nolim. Constat siquidem eâ de re alias, atque alias dudùm irrepsisse sententias, de quibus magna inter eruditos Viros contentio est. Quidam enim opinantur Sacram Imaginem ab ipso B. Petro Apostolorum Principe Ro-

Romam fuiſſe delatam; Alii eam exiſtimant Conſtantinopolim primùm advectam, & mox à S. Germano Patriarchâ Conſtantinopolitano, quo tempore à Leone Iſauro Sacrarum Imaginum deſtructore è Patriarchali Sede in exilium pulſus fuit, pelago commiſſam, & ad S. Gregorium II. Romanum Pontificem fuiſſe directam, nec ſine ingenti prodigio ad Oſtia Tiberina, quò S. Gregorius cœleſti voce præmonitus cum univerſo Clero Romano ad eam honorificè excipiendam confluxerat, appuliſſe. Nonnulli demùm Romam advectam putant à quopiam ex Monachis, qui, ſæviente in Græciâ dirâ Iconomachorum perſecutione, ad Urbem profugerunt. Quælibet ex memoratis opinionibus ſuos aſſertores habet, ac oppugnatores, ut ex *Soreſino*, *Benedicto Millino in ſuo Opuſculo de Oratorio S. Laurentii ad Sancta Sanctorum*, & aliis ab utroque citatis deprehendere licet. Quapropter cum in ejuſmodi rebus dubiis (*Uſuardo*, & *Adone teſtibus*

apud Cardin. Baronium in Not. ad Martyrol. Roman. die 15. Auguſti) vetus Eccleſiæ mos ſit, ut potiùs eligat cum pietate neſcire, quàm aliquid frivolum, vel apocryphum tenendo docere: in hac tot, tantarumque opinionum varietate, eam omnium optimam, ac tutiſſimam regulam eſſe crediderim, ut Sacram hanc Imaginem D. Lucæ manu delineatam,& cœleſti deindè opificio perfectam [quod vetuſtiſſima, & conſtantiſſima in Eccleſiâ Romanâ traditio, noſtrâ etiam ætate vigens, abundè perſuadet] firmiter credamus; Quomodò verò, quo tempore, & à quibus in Urbem adducta fuerit, cum pietate neſciamus potiùs, quàm in incertis opinionibus, in quas aliquid frivolum, vel apocryphum facilè irrepſerit, fluctuemus.

Not. 6. pag. 18. Sano modo intelligas, quod Author aſſerit de Majeſtate Domini continuò permanente in hac Sacrâ Imagine; ut ſcilicet ipſa Imago Divinam nobis exhibeat Majeſtatem peculiari quodam

dam modo, ac intuentes perindè commoveat, ac ſi Divina Majeſtas in eâ jugiter permaneret; cum ceteroquin Catholicum dogma ſit, graviſſimo *Sacri Trid. Conc.* decreto comprobatum, ejuſmodi Sacris Imaginibus, etiam Chriſti, & Deiparæ Virginis, debitum honorem, & venerationem impertiendam eſſe, non quòd credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per Imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi, decreto contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum.

Not.

Not. 7. pag. 23. Tota hæc periodus Librarii, an Authoris vitio obſcura eſt, & implicata, ſenſuque caret. Sic fortè corrigi, & ſuppleri poſſet: *Alii verò aſſerunt hoc inſtitutum fuiſſe in memoriam Aſſumptionis Sanctæ Dei Genitricis Mariæ; ut videlicet, quemadmodùm Chriſtus in perſonâ ſuâ de cœleſti Palatio, Angelorum vallatus agminibus, Matri ſuæ, cum obiit, occurriſſe creditur, eamque cum gaudio ſecum in throno collocaſſe. Ait enim B. Hieronymus*: Credendum eſt militiam Cœlorum cum ſuis agminibus feſtivè obviam adveniſſe Genitrici Dei, eamque ingenti lumine circumfulſiſſe: *ità piè exiſtimandum ſit ipſi Domino acceptum eſſe, ut, recurrente gloriosâ Aſſumptionis Beatæ Virginis die, Divini Filii Imago ad Imaginem Deiparæ Matris accedat, eoque acceſſu fidelium mentes ad recolendam, venerandamque eamdem Aſſumptionis B. Virginis memoriam acriùs excitentur.*

Not. 8. pag. 23. Deſumpſit Author totam hanc extincti, vel fugati Baſiliſci narrationem ab *Anaſtaſio Bibliothecario in Leo-*

ne

ne IV., camque iisdem penè verbis exhibuit. Ait *Anastasius* S. Leonem ad cavernam, in qua Serpens latitabat, processisse, *Sanctâ præcedente Iconâ*; quænam autem fuerit Icona, non explicat. Verùm in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis, quo die miraculum contigit, non alia insignis Imago processionali ritu per Urbem gestari solebat, quàm illa Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum; de hac igitur loqui intelligendus est *Anastasius*; quod & notavit *Petrus Glossator* in iisdem Anastasii verbis dicens: *Iconâ, ideſt Imagine Salvatoris, quæ in Sancta Sanctorum est.*

Not. 9. pag. 29. Ordinem celeberrimæ supplicationis, qua Sacra hæc Imago quotannis in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis à Sacello S. Laurentii ad Liberianam Basilicam solemni olim pompâ ducebatur, accuratè describit, & explicat gravissimæ antiquitatis author *Benedictus Canonicus S. Petri*, qui vixit anno circiter 1140., *in libro de Ordine Ecclesiæ*

cleſiaſtico totius anni, eamdemque ſupplicationem à Sergio Papa inſtitutam fuiſſe tradit his verbis tum à *Cardinal. Raſpono*, tum etiam à *Millino* relatis: *Exeuntes autem de Eccleſiâ* [loquitur de Eccleſiâ S. Hadriani) *redeunt per viam, qua venerunt, & portant eam* (ſcilicet Sacram Imaginem Sanctiſſimi Salvatoris) *per Arcum Sathanæ, quia antiquo tempore magna perſecutio erat ibi Diaboli; dein tranſeunt juxta domum Orphæi propter Baſliſcum, qui tunc temporis ibi latitabat in cavernâ, cujus fætore, & ſibilo homines ibidem tranſeuntes infirmabantur. Idcircò Sergius Papa conſtituit hanc proceſſionem in hac tantâ feſtivitate, quatenùs per laudes tantorum populorum, & interceſſionem Sanctiſs. Virginis Mariæ apud Deum populus Romanus ab his perſecutionibus liberaretur.* Hinc diſcimus Pontificem hujus ſupplicationis authorem fuiſſe Sergium II., qui ſedit anno 844., nam Baſiliſci calamitas Urbem afflixit ipſo Sergio II. Pontifice; ejus autem ſucceſſor S. Leo IV. dirum animal per inſigne mi-

miraculum vel extinxit, vel fugavit, ut *Severanus* in Opuſculo inſcripto, *Memorie Sacre delle ſette Chieſe di Roma par.* 1. *fol.* 572., atque etiam *Soreſinus* opinantur. Quod & ex *Anaſtaſio* non obſcurè deprehenditur; is enim eandem ſupplicationem, S. Leone IV. ſedente, in morem jam inductam fuiſſe teſtatur, dum Baſiliſci calamitatem, & miraculum ab eodem Pontifice patratum referens hæc ait: *Dum hæc agerentur, præclarus, & celeberrimus dies advenit, quo Beatæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ Aſſumptio celebratur. Tunc præfatus, & univerſalis Papa à Patriarchio cum hymnis, & canticis ſpiritalibus, Sanctâ præcedente Iconâ, ad Baſilicam S. Hadriani Martyris, ſicut mos eſt, propriis pedibus cum omni Clero perrexit &c.*

Antiquiorem tamen originem huic ſupplicationi *Millinus* aſſignat *in Opuſculo ſupra citato cap.* 3., eamque ante Pipini tempora, ſcilicet ante annum 750., in more poſitam fuiſſe contendit, fretus authoritate *Ordinis Romani*, ut *Hittorpius* opinatur,

omnium vetuſtiſſimi, & priuſquam Pipinus regnaret, conditi, in quo ejuſdem ſupplicationis ritus deſcriptus habetur, nec magnoperè ab eo diſcrepat, quem *Benedictus Canonicus* poſtmodùm compoſuit.

Cæterùm prędictæ ſupplicationis conſuetudo uſque ad tempora B. Pii V. perſeveraſſe traditur, cui demùm inter alia plurima ſapienter, integrèque in Eccleſiâ conſtituta, eam in poſterum inhibere viſum eſt, ut *Cardin. Raſponus* narrat, quòd, reſtincto jam illius antiquæ pietatis, ac devotionis fervore, nequaquam tantumdem ſpiritualis emolumenti ab ejus obſervatione ad fidelium animos pervenire exiſtimaret, quantum corruptelarum ex nocturnis frequentis populi circa eam diſcurſibus proficiſci animadvertit.

Cardin. Raſponus in Opere de Baſilicâ, & Patriarchio Lateranenſi lib. 4. cap. 19. pag. 369. agens de Sacris Reliquiis, quæ in Oratorio ad Sancta Sanctorum aſſervantur, hæc ait.

PRima omnium in Tabernaculo pro Altari cernendam ſe præbet Imago Salvatoris Chriſti Domini tertium, ac trigeſimum annum agentis, quam vetuſta fidelium pietas Euangeliſtæ D. Lucæ manu, recente adhuc converſationis ejus inter homines memoriâ, poſt aſcenſionem in Cœlum expreſſam, dum accenſis hic Virginis Matris, & Apoſtolorum ſtudiis obſequitur, eamdemque mox Angelico quoque artificio perfectam, à Tito Veſpaſiano

Judęę Domitore in Urbem delatam, & haud vulgaribus insignitam à Deo miraculis persuasum habet. Et infrà pag. 374.

Ac fuisse etiam consentaneum est pleraque eorum, quæ de hac ipsâ, cujus mentionem facimus, Imagine Salvatoris traduntur, cujus vetustissimus, & constantissimus in Ecclesiâ Romanâ cultus, & veneratio plurimùm ad stabilienda Catholicorum contra orientales errores, & Iconomachorum blasphemias dogmata valuisse haud dubium est; namque summam semper ejus apud Urbem religionem fuisse constat, summam in animis omnium fidelium reverentiam, eâque, tamquam certissimo divinæ misericordiæ propitiatorio, Clerus, & populus

lus Romanus difficilioribus quibuſque temporibus utebatur, ſolemni inſtitutâ ſupplicatione, qua proſequentibus omnibus Civitatis ordinibus circumferri ſolebat.

Ac inferiùs pag. 375. & 376.

Cæterùm ſupplicationes, quarum ſermonem inſtituimus, cum ad alias Civitatis Eccleſias, tum præcipuè ad S. Mariam Majorem ordinabantur, haud levi fidelium perſuaſione eam eſſe propitiandæ cœleſtis pacis, ac miſericordiæ Chriſti Domini efficaciſſimam rationem, ut homines tunc maximè in preces effunderentur, cum inſigni Exquilinæ Virginis imagine propè Salvatoris imaginem poſitâ, Sanctiſſimæ Dei Genitricis validiſſima apud Filium gratia, & ampliſſima auctoritas

ritas votis, ac poſtulatis eorum accedere videretur &c. Solemnior autem cęteris hujus pompę ducendę dies in feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis erat, de cujus ceremoniæ origine, & progreſſu, ritibuſque in eâ obſervari conſuetis, quia è Sacello S. Laurentii, de quo nunc loquimur, educebatur, paulò curatiùs dicere libet &c.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Jo: Baptiſta Carus Reverendiſs. P. Magiſtri Sac. Apoſt. Palatii Socius Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

Digitized by Google